DE

TUSSI CONVULSIVA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIX. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXIV
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FR. ED. GUSTAVUS SCHWABE.

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
A. STENZEL, MED. CAND.
G. BRAUNE, MED. CAND.
E. GABLER, MED. CAND.

BEROLINI MDCCCXXIV.
FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO

CLARISSIMO, AMPLISSIMO, ERUDITISSIMO

PETRO WIEBE,

COHORTIS PEDESTRIS IN LEGIONE

VICESIMA PRIMA MEDICO,

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Morbi historia.

Tussis convulsiva ab initio saeculi decimi quinti, quo, testibus Mezeray et Valeriola, in Franco-Gallia grassabatur, singularibus morborum speciebus adscripta et Willisio tussis convulsivae seu spasmodicae nomine designata est. Serioris aevi auctores varia ei nomina indiderunt, quorum praecipua haec: pertussis, tussis ferina, tussis clangosa, tussis clangorosa spasmodica, tussis stomachalis, tussis quinta seu quintana, amphimerina tussiculosa, tussis infantum seu puerorum, tussis pueros strangulans, morbus cucularis; Anglis kinkcough, chingcough seu hoopingcough, Franco-Gallis vulgo Coqueluche, Germanis Keichhusten, Kickhusten, Stickhusten, Schreihusten, epidemischer Kinderhusten, Brechhusten, blauer Husten, vocatur.

Schenck, Bourdelin, Holdefreund et Rosenstein tussim convulsivam novis morbis accensent; Rosenstein, ad peregrinationes variolarum, morbillorum et syphilidis provocans, ex Africa Indiaque orientali hanc tussim ad Europam delatam esse, iudicat. Etiamsi vero probabile sit, tussim convulsivam certius demum innotuisse, cum Franco-Galliam anno 1414 epidemica infestaret minime ratiocinari licet, huncce morbum an-

tea non extitisse, sed modo, aliorum instar uti anginae membranaceae, asthmatis Millari etc. non sat accurate ab similibus morbis esse distinctum.

Hippocrates tussis epidemicae saepius mentionem facit, eiusque aphorismus „qui gibbi ex asthmate aut tussi fiunt, ante pubertatem pereunt" facili negotio ad tussim convulsivam potest referri. Mesue etiam tussis tenacissimae exempla proponit, quam remediis narcoticis, iisque frustra adhibitis, sinapismis capiti superimpositis vel causticis debellandam censuit. Avicenna tussim epidemicam quandoque obviam descripsit, qua vexati sanguinem exscreabant totaque facie caerulescebant. Plurimi vero medicorum, qui de tussi convulsiva, qualis nobis observatur, exposuerunt, neutiquam novis morbis eam interseruerunt.

Ratio, qua commotus Hippocrates tussim convulsivam singularibus morborum speciebus non adiudicavit, forsan in eo est, quod blanda coeli illius indoles multo mitiorem hunc morbum redderet.

Omnes prope auctores consentiunt, tussim convulsivam aëris iniuriis originem debere, morbisque epidemicis accensendam esse, e quibus sane ratiocinandum puto, vetustatem eius a primordiis humani generis numerandam esse, quum homines aevo antiquissimo non minus quam nostro atmosphaerae inimicitiis paterent. Fortasse maior hominum cultus, qui multis aliis morbis, praesertim nervosis ansam suppeditat, id etiam efficit, ut tussis convulsiva frequentius atrociusque desaeviat.

Matthäi tussim convulsivam veterioribus haud innotuisse sed originem vel regionibus humilioribus zo-

nae torridae debere, vel, uti variolas morbillosque, bestiarum morbum ab initio fuisse contendit.

Annis 1414, 1510, 1558 et 1580 epidemica haec tussis in Franco-Gallia grassabatur, annoque 1580 in Oriente observabatur, unde per Italiam, Hispaniam, Galliam, Britanniam ct Germaniae regiones boreales diffundebatur. Haec atrocissima epidemia exstitit, quam post hominum memoriam medici observarunt. Londini annis 1669 et 70, in Germania 1709, in Helvetia 1712 desaeviebat. Annis 1732 et 33 non solum totam permigravit Europam sed etiam ad Jamaicam usque, terram Peruvianam et Mexicanam porrigebatur. Plymuthi annis 1732, 39, 43, 44 et 47, Londini 1749, in Belgia 1747, 50 et 51, in Helvetia 1755, in Suecia 1745, 47, 48 et ab anno 1749 — 64, in insula Barbados 1753, in pluribus Germaniae regionibus 1768, 69, 72, 75, 77, 80, in Britannia 1767, iu Italia 1781 magnas iuventuti strages intulit, ex quo inde tempore uon solum Germania, verum etiam reliquae Europae regiones huic epidemiae frequentius obnoxiae fuerunt.

Diagnosis, decursus, exitus.

Tametsi plures medicorum, ut Fr. Hoffmann, Waldschmidt, Stoll et Danz, tussim convulsivam nec singularem morbi speciem neque tussim peculiarem exhibere, sed modo e bile corrupta, muci colluvie aliisque cruditatibns ventriculo insidentibus produci, modo tussim catarrhalem vehementiorem vel cum vel sine diathesi inflammatoria offerre contenderunt, prout epidemiae indoles discrepet: ab omni quacunque tamen

tussi morbisque similibus adeo differt, ut, si signa eius diagnostica rite intuearis, neque ignorari neque ex ordine morborum singularium submoveri queat, cui senteutiae etiam praestantissimi recentioris aetatis medici adstipulantur.

Symptomata huius morbi pathognomonica sunt: exspirationes brevissimae, creberrime ac celerime se se excipientes, quae inspirationibus altis, raris, sonoris, maximeque tardis intercipiuntur, quibus sub finem insultus vomituritio vehementior vomitusque superveniunt. Reliqna symptomata pro varia hominum indole, constitutione et aetate differunt, partimque ab epidemiae natura propria, partim a complicationibus pendent.

Omnes scriptores, qui tussi convulsivae describendae operam navarunt, tria eius stadia perhibuerunt: stadium catarrhale seu invasionis, stadium convulsivum seu acmes, stadium atonicum seu decrementi.

Stadium catarrhale. Hocce stadium maiorem minoremve offert diuturnitatem, plerumque hebdomadas duas vel tres, nonnunquam quatuor aut sex continet. Prima phaenomena febris catarrhalis indolem praeferunt, aeger valetudine quadam, tristitia, languore, sternutatione, gravedine, lacrymarum stillicidio, raucedine et difficultatibus anginosis fatigatur, tussicula brevis, utplurimum sicca, tussi catarrhali simillima incidit, quae sono peculiari, clariori et acutiori insignitur, quandoque titillatione doloribusve punctoriis subter sterno coniungitur, quibus tussiendi cupiditas vel augetur vel sustentatur. Haecce tussis, modo frequentior, modo rarior, sub mediam noctem gravissima esse dicitur tes-

tibusque Nicolai, Rosenstein, Meltzer et Hufeland tertianum exhibet typum, quem nonnulli pro vero tussis convulsivae criterio habent.

Plerumque appetentia ciborum diminuta et somnus irrequietus urget, symptomatumque catarrhalium accessum febris supervenit, levioribus iuncta horripilationibns, quibus calor modicus, pulsus frequens, exilis, subinde plenus et duriusculus, sitis, capitis dolor etc succedunt. Febris circa vespertinum tempus exacerbatur neque raro ad mediam porrigitur noctem; quo facto sudores capitis pectorisque apparent et paroxysmo terminum imponunt. Alioquin cutis sicca esse consuevit, urina sedimentum lateritium albidumve deiicit aut pallida et limpida cernitur.

Stadium convulsivum seu acmes. Tussis antea sicca parumque infesta gravior et crebrior evadit, morbus ad fastigium evehitur, peculiaresque tussis accessiones, ut suprà diximus, exhibet, quippe quae inspiratione sonora ac diuturna stipantur. Sonum hac inspiratione productum plerique medicorum hinnitui asinino comparaverunt.

Inter paroxysmum facies aegrorum caerulescit, labia colorem fusco-rubrum portendunt, oculi ex orbitis protruduntur, rigent, multas fundunt lacrymas, nares magnam pituitae colluviem edunt, manus pedesque frigent atque tremiscant, saepe convulsionibus distrahuntur, subinde frigidus sudor per totum diffunditur corpus et suffocationis periculum imminet. Nonnunquam inter insultum corpus rigescit, lotium et faeces praeter voluntatem descendunt, sanguisque ex ore et naribus proruit. Haud raro aegroti concidunt mentisque impotes mortuis aequantur donec multis conatibus

äerem hauriendi irritis antecedentibus spiritum recipiant vomituque paroxysmum elevent. Vomitus nonnunquam unum per insultum repetitis vicibus exoritur, ac manifestum aegris levamen suppeditat. Saepius quidem paroxysmus citra vomitum desinit, sed hoc intervallum magis, quam finis esse videtur; etenim anxietas quaedem et respirandi difficultas residet, tussis post aliquot horae scripula iteratur et ter, quater eodem modo cedit ac revertitur, donec vomitus subsequatur, qui sane necessarius est, ut perfecta obtineatur intermissio. Paroxysmorum singulorum mora vulgo minutam unam ad quinque continet, nec raro quarta cuiusvis horae pars insultum reducit. Absoluto accessu aegri satis bene valere videntur, pueruli ad ludos redeunt nec quidquam conqueruntur, noctu autem exagitantur et inter diu etiam omnium iniuriarum impatientiores se se exhibent, morositati, rixandi cupiditati aliisque vitiis indulgent. Nonnunquam ipsis intermissionibus valetudo haud mediocris intermiscetur: respiratio accelerata et imperfecta, alvus obstructa, pulsus celer, parvus, duriusculus, urina vel sedimento farinaceo ditissima vel tenuis et aquosa observatur. Ciborum cupiditas aliis plane prosternitur, alii, ingestis omnibus vomitu reiectis, fama canina fatigantur; hancce famem Hufeland in adultis etiam nullo divexatis vomitu observavit eamque incitamento nervorum tussim procreanti consentaneam esse putat.

Cuilibet acccssioni tussis convulsivae, uti aliorum systematis nervosi morborum v. g. epilepsiae, antesignani praecedere consueverunt: pectoris oppressio, laryngis, tracheae et praecordiorum titillatio, angor, in-

terdum vertigo et cephalalgia vehementior. Symptomatibus hisce accedentibus pueruli quibuscunque oblatis corporibus se sustinere moliuntur antrorsumque inclinantur, quo facilius patiantur insultum. Totius corporis sensibilitas eum in modum adaucta comparet, ut levissima quaeque iniuria paroxysmum inducere valeat, quorsum prae ceteris animi affectus et ciborum haustus referuntur. Meltzer se animadvertisse tradit, omnes infantulos eadem in domo versantes paroxysmo esse correptos, si unus eorum tussire coepisset.

Tussis inter initia utplurimum arida in humidam transit. Pueri post unumquemque insultum pituitam albidam, lacteam tenacemque evomunt, quae sub huius stadii finem spissior et cocta apparet. Mora secundi stadii incerta esse solet, raro ante quartam terminatur hebdomadem, raroque decimam tertiam excedit; haec partim ab aegrotorum habitu, partim a tempestatis indole, partim a medela pendent. Quodsi paullatim accessionum atrocitas demulcetur, si inspiratio longa ac sonora desinit, si vomitus remittit et mucus spissior, globosus, minus tenax eiicitur, morbus tertium auspicatur stadium,

Stadium atonicum seu decrementi. Aegri, antea moesti, alacriores evadunt, ciborum appetitum somnumque recipiunt, recreantur, colorem offerunt vegetiorem; temperies corporis naturalis redditur, cutis aequabiliter humescit, febris abest omnesque corporis provinciae ad normam sensim revertuntur, donec valetudo integra reducatur.

Haud raro autem aegroti inter ipsa tussis convulsivae stadia aliis fatigantur malis, quorum origo vel ab

epidemica aëris constitutione, qua tussis gignitur, vel a violenta corporis contentione et concussione, vel a praepedita nutritione vel a suprema totius corporis sensibilitate petenda est, quibusque malis morbi secundarii magis minusve perniciosi efficiuntur.

Malis illis accenseri solent: inflammationes respirationis instrumentorum, febres intermittentes, morbilli et variolae; morbis secundariis vero interponuntur: haemoptōe, haemorrhagiae oculorum, aurium, narium atque oris, suppuratio aut vitia fabricae in cerebro, surditas, coecitas, fatuitas, morbus comitialis, aneurysmata arteriae aortae et intercostalium, dislocationes vertebrarum, gibbi, herniae, prolapsus intestini recti, abortus, struma, asthma, pulmonum vitia, phthisis pituitosa et purulenta, diarrhoea, tabes, hydropes.

Discrimina tussis convulsivae, asthmatis Millari et anginae membranaceae.

Asthma Millari perinde quidem ac tussis convulsiva periodismo adstringitur, sed tussis nec non vomituritio et vomitus sub accessionis finem vel ex toto desunt vel tussicula tantum exigua oritur. Asthma Millari sine prodromis etiam incursat, tussi autem convulsivae stadium catarrhale praecedit.

Angina membranacea ab initio inde morbi inflammatorii vestigia offert, febris enim ingens, dolores laryngis et tracheae, stertoratio ac dispnoea continua observantur, tussis non per intervalla accedit, sed continet, sonoque peculiari, gallicinio haud absimili, stipatur, raucedo summum assequitur fastigium.

Aetiologia.

Causa proxima. De tussis convulsivae indole atque sede omnis aevi auctores diversissimas protulerunt sententias, donec plurimi eorum eatenus consenserint, quatenus causam proximam huiusce tussis in adaucta respirationis instrumentorum sensibilitate collocandam morbumque spasmis interponendum iudicarent.

Antiquiores uti Huxham, Basseville, Waldschmidt, Thompson et Underwood tussis convulsivae sedem in ventriculo, alii, uti Butter in tubo intestinali posuerunt. Argumenta, quibus sententiam suam suffulciunt, haec habentur: vomitus ciborum ingestorum pituitaeque, tussim excipiens, titillatio, quae in larynge ordiens ad praecordia usque porrigitur, tussis clangosa et alta, tamquam e ventre infimo proficiscens, vis nocifera oleosorum atque mucilagineornm, usus salutaris amarorum et stomachicorum, accessiones tussis tertianae, quarum rationem viis primis inesse putaverunt. His autem varia possunt obiici: quodsi superioribus vero suffragari velimus, commonstremus necesse est, vomitum non sympathicum sed idiopathicum esse; perperam quoque iudicant oleosa et mucilaginea semper nocere, quippe quae nonnullis in exemplis eximio cum fructu propinantur. Amaris et roborantibus tum demum locus esse solet, cum stadium morbi atonicum incidit.

Auctores antea recensiti ad determinandam tussis convulsivae sedem et indolem citra dubium ad epidemias quasdam sibi observatas provocabant; quod si consideramus, diffitendum non est, constitutionem

aëris epidemicam, quemadmodum effigiem morbi inflammatorii respirationis organorum tussi convulsivae quandoque indidit, ita etiam affectionis gastricae imaginem ei impertire posse. Hasce species epidemiae a Sydenham et Stoll observatae prae se tulerunt.

Meltzer cacochymiam pituitosam acrem tussi convulsivae subesse ratus, sedem eius ventri infimo tribuit.

Danz causam proximam cachexiae corporis inesse putat, hac enim, inquit, submota, morbus quoque submovetur. Haec autem cachexia magis effectus quam causa tussis convulsivae esse videtur; nonne enim infantes validissimos tussi convulsiva corripi, nonne cachexiae vestigia diutissime remanere videmus?

Autenrieth ad medendi rationem provocans, materiam quandam, ut causam proximam, huic morbo assignat; verumtamen usus salutaris medelae pariter irritamento antagonistico, atque excretione materiae illius haud evidentis explicari potest.

Aevo recentiori Marcus singularem tussis convulvivae theoriam condidit, quippe qui bronchitidem epidemicam dicit omniaque symptomata ex hac inflammatione deducit. Tametsi natura huius morbi epidemica, febris ab initio obvia ususque antispasmodicorum in primo stadio saepe frustraneus, sententiae illi aliquantum probabalitatis conciliant, nimis tamen temeraria esse videtur. In stadio secundo, quod Marco teste inflammationis acmeam sistit, largam muci secretionem evenire profitetur, quam quidem inflammationis remissionem excipere constat; deest etiam huic stadio febris evidentior, quae inflamma-

tionis incrementum et decrementum luculentissime indicat. Tussis accessiones Marcus a collectione muci in bronchiis tenuissimis secreti, quo trachea irritetur posteaque vomitus per consensum moveatur, derivat. Tussis vero in morbi principio, quo viarum aëriferarum secretio penitus fere cessat, vehementissima esse solet. Neque cum opinione Marci conciliari potest, cur aegroti in intervallis satis bene valeant, cur insultus repente irruant, quum pituita magis magisque accumulata difficultates adaugeri et ante paroxysmum spiritus iam elidi debeat, quorum nihil observatur. Sonus acutus ac sibilans magis obturationem glottidis spasticam, quam obstructionem tenuissimorum bronchiorum muco effectam contestari videtur.

Quod me attinet, sententiae Schaefferi, Hufelandii, Jahnii, Paldami, Henkii, Feileri et Loebenstein - Loebelii suffragor, qui sedem indolemque tussis convulsivae in adaucta sensibilitate nervorum vagorum eorumque ramorum nec non nervorum phrenicorum collocant morbumque spastici esse generis perhibent. Huic asserto, me quidem iudice, omnia essentialia tussis convulsivae symptomata congruunt. Tussim convulsivam per se spectatam, non morbis inflammatoriis sed nervosis adiudicandam esse, periodismus insultuum, integra aegrorum in intervallis valetudo, febris absentia, anxietas et constrictionis sensatio tussim antecedens, vehementior pectoris concussio cum inspirationibus altis et exspirationibus velocibus gregatim extrusis, artuum tremor, vomitus, flatuum descensus sub accessionis finem, involuntaria lotii faecumque excretio, denique

mora morbi confirmant. Quodsi bronchia inflammatione tenerentur, fieri non posset, quin sectiones hominum hocce morbo extinctorum vestigia eius luculenta portenderent. Ulceratio et destructio laryngis, tracheae et bronchiorum, quarum Whatt et Marcus, ad fulciendam sententiam suam, nonnulla recensuerunt exempla, tam raro observantur, ut vix quidquam ad dirimendam morbi indolem conferre valeant. Omnia haec commonstrare tantum videntur, laryngitidem, bronchitidem et pneumonitidem cum tussi convulsiva quandoque consociatam fuisse, vix enim illud dubitationem aliquam recipit, hasce inflammationes tussi convulsivae saepius supervenire ingentesque inducere strages, quas tussi convulsivae ipsi adscribimus.

Vomitus, quo unusquisque terminatur insultus, haud minus nervos vagos (qui circa ventriculum plexus gastricos constituunt) et phrenicos tussis convulsivae focum continere probat, idem morbi nervosi praesentiam defendit. Rarissime enim inflammationes respirationis instrumentorum, quae irritabilitatem potissimum offendunt, vomitum cient, tussis autem convulsiva, qua sensibilitas ad summum evehitur gradum, actionem abnormem per totum nervorum laborantium cursum diffundit.

Non parvi ad dirimendam tnssis convulsivae sedem, scrutinia facienda sunt, quae Claro et Holzhausenio, funere quodam secto, obtigerunt, quippe qui viri, puero tussi convulsiva defuncto, nervos phrenicos rariores inferne paullo tumidos, nec minus nervi vagi truncos crassiores, latiores et rariores, quam par est, sympathicum maximum nervosque splanchnicos ab eo

emissos, perinde ac plexum coeliacum, iusto solidiorem tumidumque repererunt.

Causae disponentes. Causam tussis convulsivae disponentem palmariam aetas puerilis subministrat, imo hic morbus maturissimis vitae annis proprius esse videtur, etiamsi enim adultiores tussi convulsiva passim infestantur, plerumque corpora nimis sensibilia sunt, uti muliebria, ratione sensibilitatis maioris infantilibus fere aequiparanda. Infantum ii potissimum ad tussim convulsivam opportuni sunt, qui habitu scrophuloso, atrophico, spongioso, tumefacto insigniuntur. Sensibilitatem corporis adauctam in genere dispositionem tussis convulsivae stabilire, pernegat Haasius, siquidem infantes diversissimae constitutionis subigi asserit; sin vero consideramus, facultatem corpori inesse ad suscipiendam iniuriam, qua tussis convulsiva gignitur, eam autem receptivitatem in debilioribus maximam reperiri, praedispositionem illam universalem haud respuendam existimo.

Opportunitas ad tussim convulsivam nimia quoque incitabilitate respirationis organorum stabilitur, unde accidere videtur, ut tussis convulsiva epidemias morbillorum frequentissime superveniat, siquidem necessitudo propria, quam respirationis viae cum morbillis alunt, incitabilitatem earum non mediocriter intendit tussique convulsivae opportuniores easdem reddit.

Inter causas occasionales tempestatis indoles principem tenet locum. Omnes consentiunt auctores, tussim convulsivam epidemicam esse, aerisque iniuriis evolutionem debere; observationes enim nobis persuaserunt, originem eius tum praecipue [illegible] esse,

cum noctes frigidae dies aestuosos excipiant, cum frigus calorque repentinas vicissitudines subeant, cum venti boreales aut subsolani spirent cumque coelum diutius nubilum atque pluvium sit. Hinc frequentissime autumnali tempore irruit mensesque Februarium et Martium inflestat, nec raro ad initium calidioris tempestatis protrahitur.

De contagio, ut altera causa occasionali tussis convulsivae, medicinae professores dissentiunt; Rosenstein, Cullen, Schaeffer, Hufeland, Matthaei, Jahn et J. Frank contagiositatem defendunt, Stoll, Danz, Meltzer, Sprengel aliique eam refutant. Qui priori adstipulantur opinioni, tussim convulsivam semel tantum hominem eundem subigere asserunt, adultosque eam ob causam rarissime corripi tradunt, quod opportunitas ipsa tussi, infantiam supervenienti, extinguatur. Adversarii eorum partim ad indolem aeris epidemicam, quae tussi huic generandae par est, partim ad exempla provocant, quibus eosdem homines plus semel tussi convulsiva infestatos esse probant; hisce vero exemplis superioris sententiae vindices fidem derogant. Argumentis non destituimur, quae confirmant, omnes eiusdem familiae infantulos, contagio per alios allato, simul esse correptos. Imo Jahn exempli mentionem facit, quo infectionem per canem tussi convulsiva laborantem extra omnem dubitationis aleam collocari asseverat. Matthaei contagiositatem eo comprobari dicit, quod tussis convulsiva omni anni tempestate observetur, quod eos tantum adoriatur, qui nondum ei fuerint obnoxii, quod tardius progrediatur et infectionis vestigia praemonstret, quod antiquioribus saeculis,

quibus corporum opportunitas propter rariores epidemias minus extinguebatur, longe maiores adultorum devastationes illae effecerint, quod pueris laborantibus sanisque segregatis, infectio praepediatur; quibus etiam J. Frank suffragatur. Henke utramque sententiam ita combinare studet, ut tussim convulsivam morbis secundario-contagiosis adnumeret; primitivam scilicet huius tussis originem a singulari aëris constitutione pendere, procedente autem epidemia materiam contagiosam enasci latiusque propagari affirmat. Hoc effatum non parum probabilitatis prae se fert, eoque potissimum firmatur, quod, si cuiusdam familiae infans unus tussi convulsiva laborat, reliqui non prius subiguntur, quam decrementi stadium accessit bronchiorumque secretio uberior evadit.

Generatim contagium tussis convulsivae naturam minus volatilem habere, propiusque hominum sanorum cum aegrotis commercium desiderare videtur, quam alia contagia v. g. variolosum, morbillosum etc.

Pohl et alii affinitatem quandam morbillorum cum tussi convulsiva existere crediderunt, siquidem haec illis saepenumero intercipiatur; quod si verum est, non affinitatem, sed, ut Henkius bene monet, diversissimam utriusque morbi indolem contestari videtur.

Praesagium.

Praedictio partim a peculiari aegrotorum habitu, partim ab epidemiae grassantis indole, partim a morbis complicatis pendere consuevit. Infantes scrophulosi, rhachitici et debiles, quorum digestio assimilatio-

que admodum turbatae sunt, multo maiorem faciunt metum, ne tussi convulsiva opprimantur, quam, qui validi beneque nutriti sunt.

Pueri exanthematibus vel capitis impetiginibus vexati, Lentino, Thilenio et Hufelandio testibus, facilius aliis incolumes evadunt.

Quo minor infantulus natu est, eo maius vitae discrimen tussis convulsiva minatur, lactantes plerumque trucidantur.

Pueri, vel debilioribus respirationis instrumentis aut thoracis deformitatibus instructi, vel parentibus phthisicis nati, raro morbum sustinent, aut si superant, morbis secundariis, uti phthisi pulmonali, hydrothorace similibusve auferuntur.

Morbilli, dysenteria, scarlatina, variolae, dentitio tussi convulsivae supervenientes, ambiguam reddunt praedictionem; mali quoque ominis est, si constitutio aëris epidemica cum tussi convulsiva respirationis viarum incendia profert, quippe quae infantili aetati perniciosissima sunt.

Quodsi inter morbi initia infantibus sanguis per nares redditur, levior est cursus; pulmonum vero haemorrhagiae apud iuvenes obortae, mortem praenuntiare feruntur.

Vomitus spontaneus optimum est naturae adminiculum ad debellandam tussim, ideoque laetissimum offert prognosticum; diarrhoea haud raro mortis imminentis nuntia est.

Quodsi in morbi principio pedum oedemata, anorexia, pulsus mutabilis, lotium turbidum, limosum, al-

bidum ac immutabile in conspectum prodeunt, lethum certissimum instare perhibetur.

Pedum oedema in stadio ultimo, si partim ciborum cupiditas exstat, partim reliquae corporis functiones ad normam respondent, nihil periculi, sed valetudinis integrae reditum portendit.

Dolores pectoris, scapularum, sudores viscidi, lotium continuo albidum nubilumque, tussis citra remissionem, raucedo, insomnia, sputa tenacia, quae facile in fila deducuntur, horripilationes et febris hectica, virium decrementum et universi corporis macies funestum exitum praesagiunt.

Quodsi tussis atrocitas paullatim minuitur, accessiones post longiora intervalla redeunt, ciborum cupiditas augescit, aegroti moroso liberantur ingenio, somnoque placido recreantur, si respirationis instrumenta nullo torquentur dolore, spiritus facilius ducitur, urina et excretio alvina indolem naturalem recipiunt: valetudinis prosperae spes affulget.

Inter ipsum tussis insultum, quantumcunque periculi minitetur, Hufelandius nunquam infantulum animam exspirare vidit; verumtamen alii auctores multa enumerant exempla, quibus aegros vel apoplexia vel suffocatione extinctos dicunt.

Promptam tussis convulsivae medelam nunquam polliceri oportet, quum certum temporis spatium morbus emetiri soleat, priusquam ad curationem opportunus sit. Hufeland et J. Frank Sydenhami et Werlhofii effato suffragantur, tussim convulsivam ante quartam hebdomadam vix unquam posse sanari. Quum igitur artis auxilia morbi spatium brevius reddere nequeant, id dispiciendum est, ut periculosa quaeque

submoveantur, insultuum vis mulceatur, complicationes coerceantur morbique secundarii praepediantur.

Medela.

Prout medicorum sententiae de sede ac indole tussis convulsivae discrepabant et prout ipsa natura epidemiarum observatarum huc illuc aberrabat, ita medendi ratio ad varia praecepta conformaretur necesse erat. His accidit, ut diversae curandi methodi singulaque medicamenta specificorum instar commendarentur, quorum contraria efficacia luculenter patebat.

Willisius medendi indicationes secutus, emetica, cathartica, narcotica, venaesectiones, vesicatoria et fonticulos imperavit curaeque rationali viam praemunivit.

Sydenham tussim convulsivam non nisi venaesectionibus, catharticis blandioribus et externis derivantibus feliciter sanari putavit.

Astruc, Huxham, Forbes, Home, Sauvages, Hillary prae ceteris venaesectiones et emetica laudibus ornant.

Fr. Hoffmann, Brendel, Strandberg, Lieutaud, R. A. Vogel methodum antigastricam efficacissimam dixerunt. Basseville, Weber, Bisset, Fothergill, Mellin, James Sims, Sagar, Wichmann, Stoll, Danz et Armstrong emeticorum virtutes praedicarunt.

Alii nervina et antispasmodica laudaverunt, uti Barton, Millar, Murray et Underwood Asam foetidam, Danz, Gessner, Loebenstein-Loebel, Kirkland, de Berger Moschum, Hufeland praecipue Moschum artefactum, Dauz, Hannes, Underwood Castoreum, Hufeland, Danz, Jahn, Loebenstein-Loebel Hyoscyamum, Butter,

Stoerk, Lentin, Ranöe Cicutam, Danz et Gessner Nicotianam, Schaeffer, Jahn, Etmüller, Weidemann Belladonnam, Danz, Matthäi, Underwood, Henke, Loebenstein-Loebel Opium, Burton, Lettsom, Chalmer, Valerius, Hufeland Cantharides, Gessner et Thilenius Digitalem, Nucem vomicam et Dulcamaram, Memminger methodum Stützianam. Chinae usus perpurgatis viis primariis complicationibusque sublatis, plerisque medicorum recensitorum celebratur. Hinze et Senff Kali sulphuratum cum fructu administrabant, Autenrieth et Feiler unguento Tartari stibiati utebantur, Balz tussim convulsivam balneis coercebat.

Plurima relatorum medicaminum insignem efficaciam praestitura confido, si medendi indicationibus rite adaptentur, minime autem specifica esse puto.

Quum tussis couvulsiva pro epidemiae diversitate, corporis habitu, complicationibus variisque stadiis differre soleat, medendi indicationes his desideriis respondeant, necesse est.

Si igitur in primo morbi stadio febris gravior inflammatoriae indolis animadvertitur, si aegroti robusti ac bene nutriti sunt, methodo antiphlogisticae blandiori principatus largiendus est. Venaesectionibus tamen rarius locus esse videtur, siquidem, ut plurimum, infantuli aegrotant, natura epistaxi sibi succurrit et atonia procedentem morbum excipiens non praetermittenda est. Saepius detractiones sanguinis locales flagitantur, quibus cathartica leniora et refrigerantia uti Manna, pulpa Tamarindorum, Acidum tartaricum, Kali tartaricum et aceticum rel. adiungenda sunt. Sin pneumonia exquisita, tracheitis aut

laryngitis supervenit, antiphlogisticis efficacioribus utendum est.

Quodsi ineunte morbo status gastricus ac pituitosus praevalet, emetica, cathartica et resolventia ceteris praeferenda sunt.

Cum stadium catarrhale levius apparet, viae primariae saburris liberatae et genius epidemiae benignus evictus est, regimen diaphoreticum blandum ususque diaphoreticorum frigidorum cum mucilagineis et emulsionibus oleosis iunctorum sufficit; simulatque stadium morbi secundum deficiente febre sputisque largioribus affectionem mere nervosam testatur et gastricismus sublatus est, sensibilitas respirationis instrumentorum adaucta remediis directis impugnanda Moschusque, Castoreum, Ammonium, Asa foetida, Opium, Hyoscyamus, aqua Lauro-cerasi, Belladonna, Cicuta et Nicotiana in usum vocanda sunt. Maior minorve horum medicaminum efficacia ad diversam corporis receptivitatem sese conformat, quae quidem antea non semper determinari potest.

Remedia exaltatam respirationis organorum incitabilitatem viis indirectis deprimentia, partim antagonismum, partim derivationem sollicitant. Hufeland potissimum Cantharides huc referendas censet, quum viscera uropoetica inter et respirationis instrumenta, eximius intercedat antagonismus; extrinsecus inunctiones Tartari stibiati, donec pustulae efflorescant, vesicantia, ulcera artificialia pectori applicata, inunctiones pectoris e linimento volatili camphorato, oleis aethereis, balsamo Peruviano et balsamo vitae Hoffmanni succo Allii expresso, tinctura Cantharidum, porro pe-

dum lavacra e Cantharidum tinctura, Allii sücco, spiritu frumenti rel. commendantur. Efficacissima interdum enemata antispasmodica ex infuso radicis Valerianae et herbae Hyoscyami, ex Asa foetida, Opio et Moscho artificiali nec non balnea tepida universa, e lacte, sapone herbisque aromaticis parata, se praestiterunt.

Singulari mentione emetica digna sunt. Dissentiunt quidem auctores de eorum vi et efficacia, verumtamen multa experientiae testimonia eam confirmant. Facile patet, usum eorum in stadio primo et secundo ineunte esse vitandum, donec morbi indoles inflammatoria sit extincta; post haec vero efficacissimis auxiliis interponenda sunt. Ventriculo bronchiisque muco refertis, evacuationes vomitoriis inductae promptissimum atque tutissimum aegris levamen afferunt, tussim diutius arcent et peculiarem fortasse efficaciam, qua nervorum vita mutatur, exercent.

In tertio tussis convulsivae stadio exaltata respirationis viarum sensibilitas paullatim decrescit mucique secretio uberior evadit. Quodsi normalis huius stadii decursus exstat, nullis fere medicaminibus opus est, nisi blandis expectorantibus, uti minoribus Antimonii portionibus. Sin protrahitur et graves aequabilesque tussis insultus accedunt, si sputa difficilius excreantur, usus remediorum sub stadio secundo enumeratorum uti Opii, Hyoscyami et Ipecacuanhae continuetur necesse est.

Si muci secretio in stadio tertio modum excedit, si viae aeriferae opplentur, tussis strepitum movet corpusque torpidum est, expectorantia incitantia velut

Senega, Scilla, Ipecacuanha, Kermes minerale, Tartarus emeticus, Spiritus salis Ammoniaci vinosus, anisatus aliaque prosunt.

Viribus aegrotorum valde exhaustis et immodica muci secretione ob bronchiorum debilitatem perseverante, tonicis medicamentis, praesertim Chinae, Myrrhae, licheni Islaudico et Phellandrio aquatico locus est.

Inter palmaria medelae desideria regimen idoneum referatur. Aeger aequabilem habeat temperiem, omni abstineat refrigerio, cutis transspirationem foveat, satietatem nimiam vitet animique affectus fugiat. Primo in stadio victum hauriat antiphlogisticum omnibusque ab irritantibus et aromaticis sibi caveat. Interposito aliquo tempore ad alimenta animalia nutrientia leviterque incitantia exhaustis praesertim viribus, transire licet.

Index auctorum, quos in hoc libello consului.

Hippocratis aphorismi accurante T. J. ab Almeloveen, med. Dr. Amstelod. MDILXXXV.

P. G. Werthofii opera medica collegit et auxit J, E. Wichmann. Hannov. 1775 - 76.

Rosenstein's Anweisung zur Erkenntniss und Cur der Kinderkrankheiten, aus dem Schwedischen übersetzt und mit Anmerkungen erläutert von Dr. J. A. Murray. 3. Auflage, Götting. und Gotha 1774.

E. A. Nicolai's Pathologie. Halle 1784.

J. A. Murray, progr. de tempore corticis Peruviani in tussi convulsiva exhibendi. Götting. 1776, in seiner medicin. practischen Bibliothek.

F. C. Meltzer, Abhandlung von dem Keichhusten. Petersburg und Leipz. 1790.

F. G. Danz, Versuch einer allgemeinen Geschichte des Keichhustens. Marburg 1791.

J. E. Wichmann, Ideen zur Diagnostic. 2. Bd, Hannov. 1797.

C. W. Hufeland, Bemerkungen über den Keichhusten, in den Bemerkungen über die Blattern. 3. Auflage. Berlin 1798.

Am Stein, über den Keichhusten, im Museum der Heilkunde, I. Bd. 1792.

Flüe, Bemerkungen über den Keichhusten, ebendaselbst.

J. F. Balz, vom Nutzen der Bäder im Keichhusten; im Museum der Heilkunde. IV. Bd. 1797.

C. C. Matthäi, über den Keichhusten, dessen wahre Natur und Behandlung; in Horn's Archiv für medizinische Erfahrung, 3. Bd. 2. H. 1803.

J. H. F. Autenrieth, Versuche für die practische Heilkunde, 1. Bd. 1. H. Tübingen 1807.

A. H. Hinze, über den Keichhusten und dessen Behandlung; in Hufeland's J. f. d. p. H. 41. Bd. 3. St.

E. L. Loebenstein - Loebel, Erkenntniss und Heilung der häutigen Bräune, des Millarschen Asthma's und des Keichhustens. Leipz. 1811.

A. F. Marcus, der Keichhusten, über seine Erkenntniss, Natur und Behandlung. Bamberg u. Leipz. 1816.

L. Jurine, Abhandlung über den Croup, übers. v. Heineken, mit einer Vorrede und Anmerk. herausg. von J. A. Albers. Leipz. 1816.

J. A. Albers, comment. de tracheitide infantum, vulgo Croup vocata. Lips. 1816.

A. Henke, Handbuch zur Erkenntn. und Heilung d. Kinderkrankh. 2. Bd. Frankf. a. M. 1818.

W. A. Haase, über die Erkenntn. und Cur der chronischen Krankheiten des menschl. Organismus. 2. Bd. Leipz. 1820.

Dictionaire des sciences médicales, — Coqueluche.

J. Wendt, die Kinderkrankh. systematisch dargestellt. Breslau und Leipz. 1822.

J. Frank, praxeos medicae universae praecepta; pars II. vol. II. sect. I. Lips. 1823.

VITAE CURRICULUM
EX DECRETO GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego, Fr. Ed. Gustavus Schwabe, natus sum Guhlaviae, Silesiae pago, die XIX mensis Februarii A. MDCCXCVII, patre gavisus, Sigismund Traugott, matre e gente Martiniana, qni religioni evangelicae secundum Lutheri formulam me addicendum curaverunt. Aliquot annos natus Liegnitium cum parentibus concessi et litterarum elementis imbutus, Gymnasium Rectore Werdermann ibi florens adii, donec bellum A. MDCCCXIII conflatum et Franco - Gallorum itinera, Silesiam devastantia, patri necessitatem imponerent, Schweidnitium confugiendi.

Quum armis ferendis adhuc impar essem, in nosocomio militari, duce medico praetoriano Gadebusch vulneratorum curae me tradidi.

His contigit, ut bello A. MDCCCXV. reparato, chirurgi centuriati munus in me deferretur. Castra igitur secutus, ad Franco - Galliam sum profectus, paceque composita cum alia legione Moguntiam missus, praelectionibus Professorum ordinis medici per duo semestria hisce interfui: de materia medica et chemia Molitor, de semiotice Metternich, de therapia Thelenius, de chirurgia Leydig, de medicina forensi Renard, praeceptores

A. MDCCCXIX in numerum studiosorum Academiae militaris medico - chirurgicae Berolinensis receptus, trienniоque absoluto chirurgi provincia iterum functus sum. Quamdiu Berolini commoratus sum hasce frequentavi praelectiones: philosophicis Cel. Wolff, botanicis Ill. Link, chemicis, physicis et pharmaceuticis Cel. Turte, anatomicis Ill. Rudolphi el Knape me instituerunt. In physiologia Ill. Rudolphi, Ill. Koreff et Clar. Eck, in pathologia Ill. Horn et Cel. F. Hufeland, in materia medica Cel. Osann, in therapia Perill. C. W. Hufeland et Cel. Hufeland, in doctrina de morbis psychicis Ill. Horn, duces mihi exstiterunt. Formulas medicas conscribendi artem ab Ill. Knape, chirurgiam et akiurgiam ab Ill. Graefe, Ill. Rust et Cel. Kluge, ophthalmiatricen ab Ill. Graefe, medicinam forensem ab Ill. Knape, artis obstetriciae praecepta a Cel. Kluge hausi. Institutionibus clinicis Ill. Graefe, Ill. Rust et Cel. Neumann benevole me admiserunt.

Tentamine et examine rigoroso M. Septembris coram gratioso medicorum ordine rite superatis, nec non dissertatione conscripta publiceque defensa, non dubito, quin summos in utraque medicina honores per Decanum maxime Spectabilem impetraturus sim.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Febrem hydrocephalicam, quae vocatur, aquae accumulatio non antecedit, sed subsequitur.

II.

Scirrhum vix unquam localem exhibere morbum, existimo.

III.

Caloris animalis palmarium fontem respirationem iudico.

IV.

Venaesectionem arteriotomiae vices explere contendo